# ORATIO CONSOLATORIA IORDANI BRUNI NOLANI ITALI D. HABITA IN ... ACADEMIA IULIA. IN FINE...

Giordano Bruno



ILlud principio (Magnificentiss. Reuerendiss. excellentissimeq; Domine Prorector; Doctorum magistrorumq; omni virtutum doctrinæq; genere insignitorum Senatus amplissime; & nobilissima, ingeniosiss. cultissimaq; studiosorum corona) me maxima sollicitudine, atq; anxia cura vexat, quod summopere vereor, ne quis minus libertatis & simplicitatis ingenii mei gnarus, hoc ipsum leuiore iudicii lance perpendens, in deteriorem partem interpretetur quod homo peregrinus, ignotus, & cui præcipuus finis quo inter vos commoror, est latere: ita me mea sponte, à nullo (qui appareat) ascitus, vel adhortatus vltrò vestris luctibus immiscear, & ad thragicum veluti symposium minimè lacessitus accedam. Subindè ne audaciæ temeritatisq; synthoma atq; effectum suspicemini, quia post vsqueadcò eloquentissimos, & in dicendi facultate apprimè insignes; post auditam (inquam) amænissimam & dulcissimam, quantumuis lugubrem harmoniam, quasi pro colophone appingendo hoc crudo indigestoq; dicendi genere stomachum veluti delicatioribus auribus atq; palatis facturus, intrudar. Decuisset sanè post gustatos in Germanica Latiaq; facũdia torrentes, è quorum pollentis ingenii fonte aurea illa fluenta manare vberrime audiuistis, & quorum pectora facilè Charitum esse triclinia iudicarem, vt ex Italia nobis aliquis Tullius resurrexisset, qui (oportunè siue sit, siue importunè) tantæ funebri orator accederet solemnitati; vt ad ipsos eloquii patres in Italia, Græcia, & AEgypto defunctos, & in hac Academia viuentes aduentasse me videtis hominem à lepidæ orationis studio prorsus alienum, hoc hyspido, insuaui, ieiuno, illepidoq;

ſtylo balbutientem: à quo quærere videmini vnde prodam? quid noui adferam? quas agam partes? Horum ſi excuſationem, cauſam, principium atq; finem audire cupiatis (rogo) attendite.

Vt à capite propoſitum ipſum adoriar (auditores celeberrimi) non caſu, ſed prouidentia quadam factum eſſe cenſeo; vt neſcio quo vento, ſeu tempeſtate ad regionem hanc, hiſce compulſus fuerim diebus, quib. funeri celſitudinis eminentiſſimi, potentiſſimi, famoſiſſimiq; veſtri principis intereſſem. Vidi vniuerſos ciuilitatis humanæ gradus lugubri habitu, luctuoſo vultu, languido inceſſu, inclinati demiſſiq; animi ſignis aggrauatos, heroas principes, comites, barones, generoſos, nobiles, ſenatores, ciues, plebeos. Inde artes omnes, & celebres facultates, atq; virtutes Relligionem, Ius diuinum, Theologiam, Ciuiles leges, Medicinam Poeſin, Oratoriam facultatem, & alias quæ ad ingenii culturam, & conuerſationis humanæ perfectionem plurimum cōferre creduntur: quas omnes atq; ſingulas earum productor, enutritor, promotor, atq; defenſor illuſtriſſimus, & in tota Europa (cultiſſima mundi parte) nominatiſſimus Princeps ille Iulius in cœlum auocatus, ſua dulciſſima deſiderabiliſſimaq; præſentia viduatas reliquerat. Hic nihil ab humano alienum vidiſſe ſtatu potui vel audiſſe. Quinimò illam quoq; notaui generationis iſtius mirabilem, & ſuprà exterorum fidem inſignem erga proprium Principem atque Dominum, cultum, obſeruantiam, obſequentiſſimique affectus notas. Cuius officii grauiſſimas rationes non ſolum excultiorum generationum & populorum antiqua conſuetudine; verum quoque diuino quodam approbante antiquæ relligionis vſu atque ſanctione, per doctiſſimos Theologos,

gos,& Hyſtoricos,ex vtroq; teſtamento confirmatas audiui. Mirum vt omnes fœliciter, proq; neruorum ſuorum virili, accuratiſſimè in ſui muneris obeundi ſtudio ſeſe geſſerint. Tunc neſcio an ego mecum metipſe cõſiderans, dixi, an aliquis peregrinus ſpiritus intimiorib. auribus meis inſuſurrauit. Viden, ô Itale aduena, vt ex omni genere eorum, de quibus optimus Princeps benemeritus eſt, pro parte ſolemnitatis, extræmi, atq; poſſibilis officii, quod eidem præſtare tenẽtur, vltimum propriarum virium exprimunt, & effundunt? Tu quid ſomnias? quid ociaris? quid torpes? quid moraris, ne ſtatum quoq; tuum tu ipſe conſideres, & illud animo aduertas, quam tibi nullo alio minus conueniat munus illud obire, quod certè omni ratione à te inter præcipuos exigitur; vtpotè quidquid ab aliis præſtitum eſſe vides, atq; præſtandum? Peregrinus ſum (inquis) & extraneus. Quid ita Nolane? Imò hac potiſſimum ratione gerendum tuum requiritur hîc ab omni lege negocium quod extraneus, quod peregrinus es, & quod ad nullum ordinem ſpectas, nulla pars. An ignoras tantum fuiſſe generoſiſſimæ & ſuperhumanæ humanitatis illuſtriſſimi Principis Iulii inter virtutes alias ſplendorem; vt decreuerit, ordinauerit, & ſanciuerit quo in Iulia Academia non ſolum non haberentur, ſed neq; eſſent peregrini & extranei, ij quorum poſſibilis eſt honeſta conuerſatio, quorum profeſſio vel ſtudium circa Muſas, & optimas diſciplinas verſaretur? An non ſummoperè cauit, ne vlla bona ars, atq; ſcientia, quæ humano generi vſui eſſe poſſit, quæq; ad diuinam cognitionem, atq; cultũ gradus eſſet, vel ab illa ſaltem non alienaret, hoc in loco non ſe ciuem, patritiam, & domeſticam agnoſceret; vbi nil aliud peregrinum, & extraneum intelligi voluit (quod

etiã longiſſime abeſſe & exulare percupiuit) quam turpē ignorantiam, feram barbariem, atq; cyclopicam illam inhoſpitalitatem: quod faxit Deus, vt illi plenius perpetuò pro voto ſuccedat, ne vſquam Gætica illa toruitas loco grauitatis, & oſcitantis ignorantiæ ſpecies ſub titulo doctrinæ venditetur. In mentem ergo in mentem (Itale) reuocato te à tua patria honeſtis tuis rationibus, atq; ſtudiis pro veritate exulem, hîc ciuem. Ibi gulæ & voracitati lupi Romani expoſitum, hîc liberum. Ibi ſuperſtitioſo inſaniſſimoque cultui adſtrictum, hîc ad reformatiores ritus adhortatum. Illic tyrannorum violentia mortuum, hîc optimi Principis amænitate, atque iuſtitia viuum, & quatenus te capacem efficis & oſtendis, officiis etiam, & honoribus, ſaltem pro eiuſdem votis & intentione, cumulatum. Muſæ enim illæ ordine naturæ, iure gentium, ciuilibusq; legibus non immeritò liberæ, quæ in Italia & Hiſpania vilium præsbiterorum pedibus conculcantur, in Gallia diſcrimina extræma ciuili bello patiuntur, crebris in Belgia concutiuntur fluctibus, & in quibuſdam Germaniæ regionibus infœliciſſime torpent: hîc ſolidantur, eriguntur, tranquilliſſimè degunt, atq; cum ſuis ſtudioſis optimè pro principis arbitrio vigeſcunt. Illi ergo tu tanquam tuo vero principi, ſuſceptori, atq; fautori gratitudinis officia debes, ſub quo non exul, non coactus, non formidinis infernalis expunctus, atq; confoſſus aculeis; ſed ciuis, liber, atq; ſecurus viuis. Perage igitur peragas alacri, & maiori qua potes diligentia, atq; efficacia quod tibi munus incumbit: hoc enim ſub grauiſſimæ turpiſſimæq; (pro ingratitudine) infamiæ nota, ſi prætermiſeris, peregrinæ peregrino tibi Muſæ iniungunt: vt hic ſuo omnium nomine, in funebri ſaltem erga chariſſimum Principem obſequio, ſi non

quan-

quantum pro ipſis atq; pro ipſo debes, ſaltem quantum per te potes exequare. Illud enim tibi certiſſimè perſuadeas volunt: vt quodcunq; & quantumcunq; futurum eſt officium tuum, & bono animi profectum affectu, gratiſſimũ ab immortali illo diuinoq; magnamini Principis Genio excipiendum, vbi viderit, atq; compertum habuerit ſuum votum, ingenium, atq; ſuffragium ita ab externis gratum accipi, quemadmodum à celſitudine ſua gratioſiſſimè eſt illis & omnibus aliis oblatum atque conceſſum. Ex hiſce clarius (doctiſſimi auditores) conijcere poteſtis, vnde non ſolum motus, ſed etiam impulſus, atq; coactus peregrinus ego pro mea parte, me met non vti partem, ſed veluti quoddam extrinſecus adijciendum appoſui.

Quod ſubindè reuera vrget, & de meo humillimo & incultiſſimo dicendi genere non immeritò inculcatur, quia præuiis adeo diſertiſſimus Rhetoribus atq; Oratoribus ingenio tardiſſimus, doctrina tenuis, & lingua vltro me craſſiſſimus offeram, ne vos (rogo) grauius afficiat auditores: ne (inquam) temeritati, arrogantiæ, atq; animi inſolentiæ adſcribatis. Neq; enim ad tantum ſtultitiæ ſum adactus, vt ipſum quod verum eſt ignorē: nempe à me nihil non modò melius, vel æquale, ſed ne quidem ſimile veſtris candidiſſimis luculentiſſimisq; Muſis adduci poſſe, ac ideò meas ineptias illarum culturæ atq; ſplendori velut admiſcere conſorteſue facere non ſum auſus. Quippe etiam facilè videre poteſtis, vt nunc ad ſepulcrum diuini Daphnidis iſtius, quemadmodum olim etiam ad illum de quo Mantuanus Poeta meminit, TARDI VENERE BVBVLCI. Itaq; poſtquam ſuos ordines, ritus, ceremonias, pietatis finalisq; miniſterij

actus

etiã longiſſime abeſſe & exulare percupiuit) quam turpẽ ignorantiam, feram barbariem, atq; cyclopicam illam inhoſpitalitatem: quod faxit Deus, vt illi plenius perpetuò pro voto ſuccedat, ne vſquam Gætica illa toruitas loco grauitatis, & oſcitantis ignorantiæ ſpecies ſub titulo doctrinæ venditetur. In mentem ergo in mentem (Itale) reuocato te à tua patria honeſtis tuis rationibus, atq; ſtudiis pro veritate exulem, hîc ciuem. Ibi gulæ & voracitati lupi Romani expoſitum, hîc liberum. Ibi ſuperſtitioſo inſaniſſimoque cultui adſtrictum, hîc ad reformatiores ritus adhortatum. Illic tyrannorum violentia mortuum, hîc optimi Principis amænitate, atque iuſtitia viuum, & quatenus te capacem efficis & oſtendis, officiis etiam, & honoribus, ſaltem pro eiuſdem votis & intentione, cumulatum. Muſæ enim illæ ordine naturæ, iure gentium, ciuilibusq; legibus non immeritò liberæ, quæ in Italia & Hiſpania vilium præsbiterorum pedibus conculcantur, in Gallia diſcrimina extræma ciuili bello patiuntur, crebris in Belgia concutiuntur fluctibus, & in quibuſdam Germaniæ regionibus infœliciſſime torpent: hîc ſolidantur, eriguntur, tranquilliſſimè degunt, atq; cum ſuis ſtudioſis optimè pro principis arbitrio vigeſcunt. Illi ergo tu tanquam tuo vero principi, ſuſceptori, atq; fautori gratitudinis officia debes, ſub quo non exul, non coactus, non formidinis infernalis expunctus, atq; confoſſus aculeis; ſed ciuis, liber, atq; ſecurus viuis. Perage igitur peragas alacri, & maiori qua potes diligentia, atq; efficacia quod tibi munus incumbit: hoc enim ſub grauiſſimæ turpiſſimæq; (pro ingratitudine) infamiæ nota, ſi prætermiſeris, peregrinæ peregrino tibi Muſæ iniungunt: vt hîc ſuo omnium nomine, in funebri ſaltem erga charisſimum Principem obſequio, ſi non

quan-

quantum pro ipſis atq; pro ipſo debes, ſaltem quantum per te potes exequare. Illud enim tibi certiſſimè perſuadeas volunt: vt quodcunq; & quantumcunq; futurum eſt officium tuum,&bono animi profectum affectu, gratiſſimū ab immortali illo diuinoq; magnamini Principis Genio excipiendum, vbi viderit, atq; compertum habuerit ſuum votum, ingenium, atq; ſuffragium ita ab externis gratum accipi, quemadmodum à celſitudine ſua gratioſiſſime eſt illis & omnibus aliis oblatum atque conceſſum. Ex hiſce clarius (doctiſſimi auditores) conijcere poteſtis, vnde non ſolum motus, ſed etiam impulſus, atq; coactus peregrinus ego pro mea parte, me met non vti partem, ſed veluti quoddam extrinſecus adijciendum appoſui.

Quod ſubindè reuera vrget, & de meo humillimo & incultiſſimo dicendi genere non immeritò inculcatur, quia præuiis adeo diſertiſſimus Rhetoribus atq; Oratoribus ingenio tardiſſimus, doctrina tenuis, & lingua vltro me craſſiſſimus offeram, ne vos (rogo) grauius afficiat auditores: ne (inquam) temeritati, arrogantiæ, atq; animi inſolentiæ adſcribatis. Neq; enim ad tantum ſtultitiæ ſum adactus, vt ipſum quod verum eſt ignorē: nempe à me nihil non modò melius, vel æquale, ſed ne quidem ſimile veſtris candidiſſimis luculentiſſimisq; Muſis adduci poſſe, ac ideò meas ineptias illarum culturæ atq; ſplendori velut admiſcere conſorteſue facere non ſum auſus. Quippe etiam facilè videre poteſtis, vt nunc ad ſepulcrum diuini Daphnidis iſtius, quemadmodum olim etiam ad illum de quo Mantuanus Poeta meminit, TARDI VENERE BVBVLCI. Itaq; poſtquam ſuos ordines, ritus, ceremonias, pietatis finaliſq; miniſterij

actus

actus edidere Iouii currus, Iunonii spiritus, Phæbeæ lampades, Palladiæ musæ, facundi Mercurii, Charites amænissime, cœlestia nempe numina: permittite (quæso uos) permittite accessum patere, & aduentare vltimos seorsim, atq; solos; è montibus, syluis, desertisque campis, agrestes, villosos, & hispidos, Faunos, Syluanos atque Satyros cum eorum qualibuscunq; lingua, idiomate, atque (ex sincero cordis affectu) ceremoniis: vbi non se pro rei maiestate atq; dignitate, sed pro sui muneris gratiq; animi officio, atq; cultu adesse protestantur. Siquidem non soli cœlo, sed & terræ omniparenti; non magnis diis modo, sed etiam ex omni genere sacratis bonisq; laribus, heroibus; non solum domesticis, ciuibus, & vrbanis; verum quoq; extraneis, peregrinis, & barbaris, tantus illustrissimi Iulii splendor illuxisse potuit. Ego igitur qui Musarum (si quis alius) amantissimus, pro quibus patriā, domum, facultates, honores, & quiduis aliud extra ipsas amabile, appetibile, atque desiderabile, contempsi, dimisi, perdidi; nunc non eas verè, & ex puro pectore amare dici possem, si illustrissimum Principem, tantum talemq; ipsorum patronum, tutorem, & defensorem, non colerem, & ab extremo hoc effectu quod mortali parti solet atque debet consecrari, desidiosus absisterem & abstinerem. Non desint ergo etiam peregrino, si domestico officio musæ compleuere. Si cœlestibus sydereisq; cultibus apparuere, compareāt etiam campestribus hisce atque rusticanis. Magna enim & parua fecit Deus, & ab omnibus iuxtà propriam facultatem atq; captum, primitias, atq; decimas cultus exigit & honoris. Adsumus ergo nocturno, & velut extraordinarii temporis accessu Satyri, Fauni, Syluani, quamuis lacrimas nullas & luctus

nullos

nullos ſupra funere nobiliſſimo emittim⁹,&exprimimus. Si enim lacrimæ ſuper tumulo tuo requiruntur, & illas quibus inſpergantur ſacratiſſimi cineres tui ſitiunt (ô Principum optime) non defuere tibi, quas non paucas, non pictas, non fictas, non theatricas, non hypocriticas, qualibus tyrannorum corpora etiam abluuntur: ſed ſacratiſſimi amoris igne excuſſas profuderunt oculi illuſtriſſimi Principis primogeniti, ac ſucceſſoris tui Henrici Iulii aliorumq; illuſtriſſimorum liberorum, heroinæ cõiugis, conſanguineorum, affiniumq; heroum, domeſticæ generoſitatis, nobiliſſimæ curiæ, miniſtrorum, populorum, ipſius denique cœli, quod ab eo tempore quo animam ſuperis reddidiſti, & magnis immortalibusq; heroibus aggregatus es, ad hunc vſq; vltimum funeralium honorum terminū & vltra, lacrymas ſuas lacrymis populorum tuorum admiſcuit. Quid enim (per Deum immortalem) credere poſſumus ab illa eâdem die intempeſtiuas, & extraordinarias iſtas pluuias, ventos, & tonitrua, præter lacrymas, ſuſpiria, & querelas quibus concelebrando tuum funus ſinguli quique dies non intermiſſis vicibus obtulere? Sic ergo potius modum lacrymis veſtris (ſi quid poſſumus) poſituri, ruſticorum numinum perſonæ ſine lacrymis adſumus, & ad celſitudinē tumuli huius adducimus Sabæorum aromatum fumos; ſpargimusq; flores, roſas, violas, frondes, ſuaueolentia naturæ matris dona, etenim hæc conſueta grataq; ſunt ſepulcro. Hæc ſunt quæ noſtræ campeſtres montanæq; deæ Nymphæ, Naiades, Dryades, Hamadriades, & Napææ noſtras per manus cumulatiſſimè in amoris, cultus, & obſeruantiæ ſignum offerenda tradere, priuſquam ipſis à multitudinis abhorrentibus concurſu, ſecretior accedendi, & conueniendi tempus offeratur; vt

muneribus hisce addant pro coronando sepulcro earum manibus contextas corollas, non quidem ex tristi taxo, vel cypresso: has enim tanto heroi immortali minus cõuenientes existimant, quem non obiisse, sed à vobis abiisse credere debetis; at verò coronas, atq; thiaras ex floridis roremarino, myrtho, hedera, pampino, palma, oliua, atq; lauro, typis Prudentiæ, Sapientiæ, Fidei, Patientiæ, Victoriæ, Pacis, atq; Tryumphi.

Moxq; illud vobis earum nomine significatum esse volumus, quemadmodum quas pro actu effectuq; pietatis lacrymas effudistis, improbare non possunt illas, quibus cœlum ipsum non solum adstipulatorem, sed & consortem atq; comitem habuistis. Cæterum ne lacrymæ alicuius desperatioris effusiorisq; tristitiæ locum admittant; néue superflui extraq; legem positi meroris signa à prudentibus oculis atq; vultibus exprimi videantur; illud menti omniũ obiectum esse volunt, vt peractis hisce funeralium solemnitatum muneribus, cum pia fœlicissimaq; illustrissimi Ducis Iulii recordatione tranquillo vniuersi degamus animo; neque enim turbido illi merori porta vlla pateat oportet, quando intelligentiæ oculis illud aduertatur; nempè si citrà perfunctos actus campus ploratui vllus vacare debeat; eum ipsum contingat vt ad vnam de tribus causis referamus, Aut ad illustrissimi Ducis Iulii personã, Aut ad ducatus amplissimi incommodum, Aut ad tuum tandem (Academia Iulia) detrimentum.

Verum (ô doctissimi, ô sapientissimi auditores) quinam ex prima causa locus esse queat, vbi Princeps optimus omnia summa cum benedictione, cœliq; singulari fauore perfunctus, pleno fuso, è manibus Fortunæ euasit atque Parcarum? Ab hac videlicet lacrymarum valle, ad

le, ad beatitudinis montẽ illum; ex hac infernali AEgypto, ad cœleſtem illam Hieruſalem; de cæca tenebrarum abyſſo, ad lucis inacceſſibilis plenitudinem; à torrente calamitatum, ad conſolationis immenſæ flumina; à carcere temporis, in ampliſſimum æternitatis ſinum; De viciſſitudinali, velutiq; momentaneo principatu, ad illius æterni regni (cuius heredem illum conſtituit optimus maximus) adeptionem euolauit? Poſtquam ergo ob eiuſdem abſentiam debitas lacrymas profundiſtis, (eas enim patitur, atque ordinat naturalis & humana quædam ſanguinis lex) iam apud vos illius fœliciſſimo ſtatu coram oculis expoſito, merori nullus amplius locus eſto: Quis enim iure plorabit pro parente, amico, beneficóve domino quando ille peracta vitæ huius moleſtiſſima nauigatione, cum propriorum laborum mercede, præmio, atque corona portum ſalutis attingit, atq; quietis?

Num verò (quod ſecundo ſtatuebatur loco) pro populis vniuerſis qui ſub illius ducatu & gubernatione vigebant, aliqua ſit ratione dolendum, hoc nobis ipſiſque omnibus maturius conſiderandum relinquo. An non illuſtriſſimus atq; prouidiſſimus dux diu antè cauit, ne ob iſtam cauſam ſubditis amantiſſimis ſuis aliqua pro ipſius abſentia triſtitia accederet? An non euidentiſſimè conſtat, quam luculenter diuina potentia atq; miſeratio illi vſque in finem adſtiterit, quem ſicut olim à millibus inuidiæ, malignitatis, & fortunæ inſultibus liberauit; ſicut ipſum in celſitudinis huius gradum euexit; vt eum in eodem aliquandiu fœliciter conſeruauit: ita etiam effecit, vt peracto huius vitæ curſu, inſtanteq; eiuſdem emigratione, poſſet populis ſuis celſitudinẽ primogeniti, & ſucceſſoris ſui Illuſtriſſ. Henrici Iulii tanto

animi ſplendore, prudentia, fortitudine, doctrina, atque magnanimitate præditam & patrem patriæ loco ſuo optimè meritum committere: cuius eminentiſſimæ virtutis fulgorem poſt Halberſtadenſis æpiſcopatus, huius illuſtris Academiæ rectoratus, & aliorum titulorum adminiſtrationes quas illuſtiſsimo Duce parente ſuperſtite adoleſcens ſumma cum laude, & omnium ſatisfactione exercuit; nunc certè firmata ætate vltrò, atque vltro, amplius atque amplius cum latiore amplioreq; dominio atq; moderatione tanto magis illuſtrabitur, eniteſcet, propagabatur. Vt certè videre poſsitis illud illuſtriſſ. Ducis Iulii prudentiſsimo ſtudio eſſe factum; vt pluribus poſt ipſius funera ſeculis, eius vobiſcum præſentiam melius, atque melius agnoſcatis.

Prætereo recenſere quanta diligentia in populorum ſuorum vtilitatem, vſum, fauorem, atque gratiam illuſtriſſimos liberos ſuos curarit educandos. Illud vnum tantum mihi è memoria nulla ætas & obliuio delebit, quod hiſce meis oculis videre, & auribus hiſce audire licuit heroas pueros binos principes filios ſinui & educationi veſtræ commiſſos, certisq; temporibus arctiſſimo adſtrictos examini, à communibus nuptiis, baccanalibus, & compotationibus prorſus alienos & auerſos, quemadmodum neq; ſtudio feritatis intentos poſt carnificinam fugacium leporum, atq; ceruorum nemo vnquam aſpexit, ſed tantum ſcolaſticis & Eccleſiaſticis iugi frequentia conuentibus intereſſe. Et maximè illud memoria ſeculorum (quod volo dicere) dignum; quam magnificè, animoſè, & (non minus quam ætas pateretur) doctè in theſes ſub magno Iuriſconſulto Borcholto diſputatas ambos propoſitis grauibus argumentis oppoſuiſſe nouimus. Vt (bone Deus) tunc mihi pro multiplici af-

fectu

fectu pectus subsultabat? Vt mirè desiderabam illic pro exemplo vniuersos Europæ principes, & principum filios interfuisse? O quam certè plerosq; ex hisce puduisset ipsis pro adultiores stupiditate silentibus, & in auribus totum ingenium habentibus, tenellos pro iisdē pueros sapere, loqui, audiri. Vt didicissent quemadmodum non semper, ita etiam nostra hac ætate omnium infœlicissima non vbiq; commune atque proprium principibus est alieno tantum ingenio, iudicio, lingua sapere, consultare, loqui?

Non minori cura atque sedulitate plenissima fama & euidentia est educatam esse primogenitæ indolis illustrissimi Principis Henrici Iulii celsitudinem, quæ incremento capiente ætate, diu ante præmaturum nacta iudicium, linguarum omnium, doctrinarum, atq; virtutum (quantum cuicunq; optimo principi atque moderatori opus est) culmen attigisse potuit. Qui nam igitur (si mentis oculos in altum efferatis) ex dicta caussa mœstitiam populis vllam enasci posse videbitis? Vbi fœlicissimus inter Heroas collatus ille animus cœlum tenens, conuersisq; in terram oculis videat ex vna parte in Duce Illustrissimo Henrico Iulio tum mirum in eius exequiis celebrandis gratitudinis, & amoris iudicium; tum etiam pro populis gubernandis illas in multis principum desideratissimas animi, mentis, atque corporis virtutes eximias: ex altera vero parte (pro cœlesti gratia, diuinoq; illi adsistente fauore) sub tanto, taliq́ue duce omnia vt reliquit, pacata, tranquilla, incolumiq; statu, vtpotè propter reformatiorem religionem, iustitiam, beneuolentiam, atque gratitudinem, populorum tanquam fortissimis vinculis obstrictorum firmissimum obsequium?

Num tua tandem caussa dolere debeas, & quali ratione erga Illustrissimum fundatorem tuum hoc tempore affecta esse debeas (Academia amplissima) non meis sed ipsius verbis, immò factis recensebo. Ipsam igitur beatissimam celsitudinem præsentem coram agnosce, & iis quibus te alloqui consueuit voce, vultu, atque affectu, animi tui intima pulsantem audito.

Iulius ille Cæsar ad cuius celsum fortunæ gradum superattingere non potui (quia per vim patriæ visceribus illatam, atque crudelem illam tyrannidem numquam voluissem neque vellem) cuius tamen animum & illustres virtutes exæquare studui, & (si pro moribus patriis possibile esset) superare; vt illi aliqua propria ratione & facto comparari possem, cui proprionomine & atauorum regum splendore compar eram: totum attamen, & fortasse amplius à superis fecisse censeor. NIHIL ENIM PRAETERMISIT QVI QVANTVM POTVIT EFFECIT. Ille cum è Pharii tyranni manibus, non sine mirabili diuino fauore, mediante propriæ sedulitatis, atque solertiæ virtute elaberetur; quando de extremo vitæ suæ discrimine agebatur, in illa propè desperata, imò verè desperatissima cura, non magis sui recordatus est, quàm Musarum suarum, libellorum suorum.

*Molis in exiguæ spacio stipantibus armis*
*Dux Latius tota subito formidine belli*
*Cingitur, hinc densæ prætexunt littora classes,*
*A tergo insultant pedites; via nulla salutis;*
*Non fuga, non virtus, vix spes quoq; mortis honesta.*
*Captus sorte loci pendet dubius ne timeret,*
*Optarétne mori: prohibent fata. Ipsa salutis*
*Ostendit Fortuna viam; Tunc puppe relicta*

Proji-

*Prosilit in pontum; Siccos fert laua libellos,*
*Dextra secat fluctus; Tandemq́ illæsus amico*
*Excipitur plausu clamantis ad æthera turbæ.*

Ita & tuus Iulius (Iulia) in omni casuum extremitate quos multos subiisse potui, salutem tuam (propter eas quas quantum potui colui Musas) cum salute mea cōposui. Te (vt scias) à primis ætatis meæ annis meditatus sum atque dilexi: cum aduersum me vndiq; vastissimi maris huius, atq; turbulenti sæculi fluctus efferuescerent, & æstuarent, cum ex omni latere procellæ nequissimæ illius relligionis, & violentæ tyrānidis Tyberinæ bestiæ me fluctuantē propulsarēt; vt ab ipso materno sinu, paternis vlnis, & totius natalis domus amore & gratia diuulsum; expositumq́; inuidiæ, liuori, & maledictis sibilantium serpentum, canum latratibus, sannis aprorum spumantibus, rugitibus, dentibus, & vnguibus leonum, acerrimè maligna fortuna concuteret. Hisce inquam afflictantibus, cum ex omni latere circumdatus essem, & cominus mortem minitantibus, & intentantibus vallatus premerer, & vix in mortis honestæ spem ociosorum præsbyterorum sententia adactus: tunc cum velut vnica pro meæ virtutis suffragio, naufragii tabella superesset, te tamquam dimidium animæ meæ, sub vexillo relligionis, pietatis, & doctrinę (quæ pro parte luminis à cœlo mihi irradiantis optima videbatur) hac manu constātissimè sustinui, ne ab vndis peruersitatis non solum mergereris, sed ne vel saltem contaminareris. Dextram mihi tantum (adhuc fauori, & saluti tuæ intentam) quæ reliquos labores susciperet, pro scopulis euitandis, fluctibus superandis, & vt ad tutum portum mei tuiq́; communia viscera perducerem, reliqui. Itaq; è duabus manibus altera tota tuæ, altera verò partim tuæ, partim meæ

vitæ

vitę adminiſtrabat. Hac ergo dextera in agone poſitus nimiū aſperas atq; longas calamitates (in ſeculi nempè huius pelag9 immiſſus) ſubiui, peruaſi, reppuli, oppugnaui, expugnaui, calcaui, ſuperaui; tandemque me auitiſſimo cœleſtis curiæ plauſu exceptum video; teq; in optimo portu collocatam relinquo, immo habeo.

Memento ergo tui Iulii, mea Iulia, quam velut vnum è meis liberis à cœlis aſpicio, cui ideò nomē meum indidi & communicaui, vt mei amoris pignus perpetuò in tuo corde conſiſteret. Ego te animo meorum liberorum inſculpſi; quorum vt amor erga te eſſet indelebilis, eoſdē tibi educādos tradidi: vt cum lacte relligionis, pietatis, doctrinæ è tui pectoris vberib. exſucto, amorem tui in viſceribus propriæ ſubſtantiæ iniectum conciperent; quo te tandem tamquā propria viſcera diligerent, proindeq; ipſi te viciſſim adultiores alerent, regerent, promouerent, & tutarentur. mea Iulia. Te ego Iuliam appello, quæ antequam appareres in cultu lapidum, fundamentorum, parietum, columnarum, tectiq; iſtius ſenſibilis me naſcente nata, me lactente enutrita, me adolente adulta, me fugiente fugiens, ſalua me ſaluo. Vt verò eo tempore Iulia nata quo Iulius natus, & cum Iulio viuēte Iulia viuens, optime caui ne & eſſet defuncto Iulio defuncta. Viuit tibi Iulius, viuit tibi. Caro de carne mea, ſanguis de meo ſanguine, (in quo & per quē adhuc viuo, & viuam tecum) primogenitus meus Henricus Iulius, ſpiritu nihilominus heroico, & Dei beneficiis exornatus, ſicut diuino tibi munere me viuente Rector aſtitit: ita etiam multiplici plenioriq; gratia atq; ſuffragiorum officio, nunc ille te ex toto è manibus meis ſuſcipiet chariſſimam. Siquidem vt meum nomen, ita & vultum, & animum in te meum contemplabitur, & agnoſcet. Ille te

amplius

amplius atque amplius fouebit, augebit, ditabit, exaltabit, atque defendet. Vale ergo (mea Iulia) vale, æternum vale; & hoc vnum tibi quantum præcipere poſſum, præcipio; teque quantum rogare poſſum rogo. ME AMA. & ſi me viciſſim quo ego te complexus ſum amore proſequeris, quos amaui ama, quos recepiſſem recipe, quos honoraſſem honora, protege quos protexiſſem.

O beatiſſime heroum, principum ſapientiſſime, ducum celeberrime, en vbi erat cor tuum, ſpiritus tuus, animus tuus; en vbi totum, en vbi tantum ſtudium. Non antiquorum more templum idolorum erexiſti, Non aras immundis dæmonibus, atque myſanthropis ſpiritibus conſecraſti, Non cœnum ſeu cœnobium, vel dormitorium monachorum (glirium nempè deſidioſorum nidum) fabricaſti. Non ſuperfuſis multa arcium propugnacula expenſis, paſſimq; munitiſſima architecta quibus violentum populis rebellaturis frænum immitteres extruxiſti. Illud enim (ô ducum ſapientiſſime) cognouiſti, quam vires huiuſmodi non minus poſſint contra Principem, quam pro Principe comparari, quibus paratis non ſolum contingat tyrannis illorum cauſſa, ſed etiam adeoq; magis ab illis ſibi metuere. Optimè conſideraſti populos pace, prudentia, longanimitate, benignitate, atque iuſtitia maximè detineri, & in æternum ſub eodem regimine conſeruari. Talibus compedibus, manicis, iugis, muris, propugnaculis, vallis, atque turribus imperaſti, regnaſti, regnas adhuc & imperas. Sic hoſtes tuos ſola animi prudentia & inuicti ſpiritus

omnia in vno Musarum cultu sita esse conspiciens Iuliā hanc tuam, nomen tuum, & affectū tuum Musis consecrasti.

At nunc quid tibi viciſſim pro tanto munere Musæ? Ipsæ tibi in æternitatis templo statuam auream erexere, cuius dexteræ ensem cum lancibus Astræa porrexit & applicuit. Leuæ Minerua sapientiæ & legis librum cōcessit apertum. Pallas pectori fortitudinis atq; magnanimitatis thoracem adiecit. Capiti corona prudentiæ, atque consilii, quam tibi magnus Apollo pertexuit, est immiſſa. Sub pedibus innumerorum variorumque monstrorum simulacra videre licet inuidiæ fraudis, Iræ, Gulæ, Impietatis, Superstitionis, Ignorātiæ, Ocii, Luxus, Detractionis, Auariciæ, Tyrannidis, Violentię, aliorumque millium. Ibi circum ex candidiſſimo solidoq; argento proprias singulæ statuas appoſuere. Vbi Clio præteritarum rerum memoriam ante oculos præsentis æterniq; sæculi reuocans, rerum gestarum tuarum gloriam decantat. Melpomene thragica grauitate insignis, funebres augustiſſimasq; pompas, quibus homines, dii, cœli & elementa fœliciſſimum exitum tuum decorarunt. Comica Thalia lepidis, blandisq; iocis congaudens, iis qui olim temerè tuis heroicis consiliis & facinorib. sese oppoſuerunt, vel etiā nunc liuore insano ægrotantes altiſſimis laudibus tuis detrahere contenderent, in Aenea tabella inscriptis hisce carminibus insultat.

*En super astra manens sannas contemnit inanes*
*Materiam nostris liuide tolle iocis.*

Calliope heroicis carminibus tuos, atauorumq; regum gestus decantante:

*Terpsicore affectus cythara mouet, imperat, auget:*
*Plectra gerens Erato saltat pede carmine, vultu;*
*Signat cuncta manu loquitur Polyhimnia gestu.*

Vranie

Vranie in celſis mundani templi laquicariis, ſolido auro, atque hiacintho vtriusque hemiſphærii cœleſtis imagines vniuerſas viuo proprioq; colore expreſſas cõtinentibus, nomen illuſtriſſimum tuum circa Erigones fulgentem ſpicam cœlatum oſtendit.

Ibi ad ſeptrentionales imagines oculis intendentibus aſpicere primo licebit. Helicem, Cynoſuram, Draconem, Bootem, Coronam Ariadnæ, Herculem, AEſculapium ſeu Serpentaurum, Lyram, Cycnum, Aquilam, Sagittam, Delphinem. quorum ſingulæ ſingulas virtutes tuas inſinuant, propriisq; notis deſcribere intelliguntur. Delphin philantropiam & humanitatem, Theſſalica ſagitta poſt maturum conſilium fœlicem in peragendo celeritatem. Aquila amplioris dominii dignitatem, Cycnus puritatem, Lyra ſuauitatem, AEſculapius prudentiam, Hercules fortitudinem, Corona maieſtatem, Bootes cuſtodiam & Vigilantiam, Cynoſura ſublimitatem atque firmitatem, Elice inocciduum illuſtriſſimæ ſereniſſimæq; proſapiæ tuæ ſplendorem.

Secundo in formas illas quæ magis inter Tropicum Boreum & cingulum primi mobilis incumbunt perſpiciendæ veniunt Falx adamantina ſeu enſis incuruus, Caput Algolis ſeu Meduſæ, Capra cum hædis, Crines Bereniçes, Delthotó ſeu Triangulus, Auriga ſeu Ericthonius, Perſeus, Andromedá, Caſſiopea, Cepheus, Equiculus, Pegaſus ſeu Bellerophontis equus. Vbi Pegaſus alatus fuſeq; per æthera curſum explicãs, famam tuã vniuerſum orbem peruadentem deſignat, Equiculus Libertatem, Cepheus (qui & Cheicus, id eſt inflammatus)

tatem,quibus ita tui affectus atque opera deuinciebantur: vt nihil præter diuinam & naturalem moralemque iuſticiam tibi licere arbitrareris, neque committeres. Perſeus triumphator ſtrenuæ ſedulitatis,atq; illaboratæ virtutis tuæ index & teſtis eſt. Crinis Berenicis facilitatem & ornamentum aperit. Auriga Erichtonius, qui carmine quercus adtraxiſſe fertur, natiuum eloquium & gratiam,qua duriſſimas gentes in proprium obſequiũ emolluiſti. Triangulus, virtutum ternarium, Prudentiam qua negocia omnia es adorſus, Strenuitatẽ qua eadem perfeciſti, & eam qua facta defendiſti Viiilitatem. Capra cum hædis (ex vi ſyderali) ſollicitudinem,digniorumq; rerum curam. Caput illud Gorgonis reciſus, cui pro crinibus venenoſiſſimi angues implantantur, monſtrum illud peruerſiſſime Tyrannidis Papalis, cui ſupra capillorum numerum adſiſtunt & adminiſtrant vniuerſæ contra Deum,naturam, & homines blaſphemæ linguæ, quæq; peſſimo ignorantiæ, & nequitiæ veneno mundum inficiunt, quod à regionibus iſtis tua virtute detruncatum,& avulſum experimur. Gladius ille adamantinus monſtri cæde rubens, mentis invictæ cõſtantiam,qua horrendiſſimam illam feram confeciſti.

Tertio orbis obliqui ſydera reſpicientibus occurrunt Piſces illi Dionei, Phrygius Ephebus Ganimedes quem Aquarium appellant, Hiſpida ſpecies AEgocerotis ſeu Capricorni. Chiron centaurus, Scorpius, Libra, Aſtrea virgo,Leo,Cancer, Geminorum Caſtoris & Pollucis ſimulacrum,Taurus,Aries. Vbi Aries aurato vellere effulgens,notat aureum & pacificum,auctumque ſeculum poſt ferreum, & turbidum ducatui iſti per te inductum atque confirmatum. Taurus Europæus vector,conſtantiam,grauitatem, & maturitatem. Caſtor

atq;

atq; Pollux inuiolatam in amando & reamando legem, quam iuſtus atq; gratus, in diſtribuendo & retribuendo Eros exigit verus & Anteros. Cancer feruens, ardens, & aduſtus, miram laborum tolerantiam. Leo cuius cor inſtar inflammantis ſolis, latiſſimo radiorum ordine ſcintillat, inuictiſſimum magnanimitatis vigorem, quo turbas & bella ne mota ſuperares, antequam mouerentur oppreſſiſti. Aſtrea, naturalis continentiæ & caſtitatis ſpecimen. Libra quanto cuncta moderamine tum in aliena, tum in propria perſona geſſeris. Scorpius contracta cauda formidoloſus, atq; vndique ramoſa brachia recuruans; fraudulentum atq; ſubdolorum temeritatem atq; audaciam quam repreſſiſti. Chiron ſuperiore parte tantum homo, quoſdam è tuis populis, quos à barbarie & feritate in humanitatis veram ſpeciem euexiſti; ſuper plantatis pietatis, artium, atque muſarum ſtudiis. AEgoceros in quo ab inferis partibus ad ſuperna ſolis curſus inflectitur, apertam ampliationem dominii, atque amplius futuram exaltationem. Phrygius puer de Iouis cellariis tibi nectar effundens rationem adducit, qua dignè Muſæ tibi in templo famæ ſacellum hoc extruxerint, vtpote numero beatiſſimorum numinum de vino æternæ fruitionis participantum, adſcripto. Piſces in alta cœli parte conſtituti, ob eam cauſam, quia Venerē atq; filium à Typhonis gigantis furore liberarint, oſtendunt celſitudinem tuam eadem ratione cœleſtis incolatus eſſe participem, nam legem illam geminæ dilectionis Euangelicam, ne temeraretur à ſæuiſſimo atq; truculentiſſimo tyranno, intra proprios lares tranſfugam

ſubiacentem admirabiles offeruntur imagines Orion, Procrinis & Syrius canis, Lepus, Argonauis, Hydra, Coruus, Cratera, Centaurus, Lupus, Ara, Piſcis Auſtrinus, Cœtus, Eridanus, Corona. Vbi Corona (quam Vraniſcum appellant) ſuperbiam, & vanam ambitionem Tyrannidemq; ſignificat, Eridanus, profuſam & indiſcretam elargitionem ſeu prodigalitatem. Cætus immoderatam concupiſcentiam. Piſcis mutam ignorantiam. Ara ſuperſtitioſum cultum & idolatriam. Lupus rapacitatem, & ſæuitiam. Centaurus duplicitatem cordis & affectus. Cratera temulentiam, helluoſitatem & ebritatem. Coruus loquacitatem & ſcurrilitatem. Hydra multiplicem mordacitatem, atque maledicentiam. Argonauis auaritiam, & fraudulentam vſurpationem. Lepus puſillanimitatem, & luxum. Canes duo terras imodicis ignibus concoquentes, iram & inuidiam. Orion tempeſtoſus & horribilis, crudelitatam atq; feritatem. Hiſce ſignificantur vitia, quæ non minore virtutum numero conculcaſti, ſubieciſti, domuiſti. Feritatem atque crudelitatem admirabili clementia. Iram & inuidiam pacientia & longanimitate. Detractionem, grauis eloquii maturitate. Loquacitatem circumſpectiſſimo ſermone. Helluoſitatem & ebrietatem, abſtinentia & ſobrietate. Duplicitatem cordis, veritate atq; ſinceritate. Rapacitatem atq; ſæuitiam, mitiſſimo tractabiliſſimoq; ingenio. Superſtitionem & idololatriam, relligione atq; pietate. Mutam ignorantiam, ſapientia atque doctrina. Immoderatam concupiſcentiam, modo in affectibus temperandis. Rerum dilapidationem, parſimonia & frugalitate. Superfluam ambitionem atque tyrannidem, patriæ paternitate.

O fœlicem ergo, ô terq; quaterq; tanto fundatore

Iulio

Iulio beatam Iuliam Academiam. Viue, egredere, vade, incede, conſiſte, ſede glorioſiſſima inter oẽs mundi academias. Auguſtiſſima, illuſtriſſima, celſiſſima Princeps, principis filia, principum ſoror, & quam longo ordine illuſtriſſimorum nepotum manet cathalogus ampliſſimus. Quam generoſè orta, quam magnificè educata, quam glorioſe adoleſcis. Viue, & pro hoc funebri habitu, quem vt portares digna effecta es, pro lacrymis hiſce, quas ſub titulo filiæ fundere meruiſti, gaude etiam: in ipſo inquam luctu gloriare; quia digniores pro ſimili tantoq; obiecto academia nulla fudit, vel fundet vnquam. Fundator tuus, princeps tuus, dominus tuus, parens tuus tenet cœlũ, de cœlo te reſpicit. Inde tibi aderit. Ibi Deo optimo maximo votis oblatis (vtpotè illi gratiſſimus) quidquid pro te volet impetrabit ille, qui in meliori ſtatu non eſt veriſimile vt tibi poſſit eſſe deterior.

*D I X I.*